

hominibus : Hic quidem est Ecclesiastici Principis character, isque præcipuus, quo divinæ largitati respondet, a qua auctoritatem agnoscit, & hominum indigentia subvenit, ob cuius levamen a Deo credit potestatem accepisse.

Dignare ergo, PRINCEPS EMINENTISSIME, ut nos quoque ad Te accedamus, offerentes Tibi, quæ in Dei honorem, & in Proximi utilitatem, paravimus; & a Te quoque implorantes protectionem tuam, qua fiet, ut Deo honor non denegetur, & Proximo commodum non contendatur. Et si in hisce Dissertationibus nostris aliquid offendas, quod tuam obtineat probationem, reminisci digneris, quod illud vel a tuo didicimus colloquio, vel a tuo exemplo comparavimus. Nos interim Deo humillimas agentes gratias, quod aliquando tenuitati nostræ largitus fuerit, ut in tuum admitteremur consortium; eundem obnixis precibus deprecamur, ut Te sospitem per annos multos conservet; unde Ecclesia sua possit in Te modo fortissimum habere brachium, quo illa exequaris, ad quæ ex munere destinaris; & postmodum sapientissimum nancisci caput, quod eandem regat, doceat, atque gubernet.